GOTTFRIDI MASCOVII, D. DE REDHIBITIONE EQUORUM, VOM RÜCK-KAUFF DER PFERDE, ...

Gottfried Mascov, Valenti Gonzaga

Digitized by Google

Digitized by Google

Redhibitionem petere dicimur, quando id agimus, ut, quod accepimus, *reddere*, et, quod dedimus *habere*, nobis liceat. Eſt enim redhibitio dicta a *reddendo* et *habendo*: utique huc redire videtur alluſio Ulpiani in *L. 21. pr. ff. de Aedilitio Edicto*. De hac redhibitione Aediles Curules, qui inter caetera rerum in foro venalium curam agebant, duplex propoſuerant Edictum, alterum pertinens ad Mancipia, alterum de Jumentis. Summa Aedilitii Edicti agentis de redhibitione jumentorum hoc eſt: *Qui jumenta vendunt, palam recte dicunto, quid in quoque eorum morbi vitiique ſit: Si quid ita factum non erit, in ſex menſibus judicium dabimus*, praeſto ea in *L. 38. pr. ff. de Aedilitio Edicto*. Putet aliquis, Edicto Aedilitio contineri tantum redhibitionem jumenti, cujus vitium venditor *ſciverit*; ſed idem in eo jumento ſervari cujus vitium venditor *ignoraverit*, ratio ſuadet ſimilitudinis, ducta a judicio *Emti*, quod adverſus *ignorantem* non minus, quam *ſcientem* venditorem dari, vult Julianus, *L. 13. ff. de Actionibus emti*, niſi quod, qui *ſciens* vendidit, id etiam praeſtat *quod intereſt*, quia *doli* arguitur, cum *ignorans culpa* tantum non carere videatur, et propter hanc ſolum intolerabilis viſa ſit ignorantia vitii in re ſua.

 Verba

Digitized by Google

Verba Aedilium de *Jumentis* agunt, ſed ad *reliquum pecus* etiam tracta ſunt *L. 38. §. 5. ff. de Aedilitio Edicto*, et eas res quae *ſoli* ſunt, non minus quam *mobiles*, aut *ſe moventes*, *L. 1. pr. ff. Eod.* Igitur redhiberi poſſunt non tantum res *ſe moventes*, veluti oves ſcabioſæ aut vitiatorum pulmonum, vituli veſani, porci leproſi, bos qui cornu petit, ſed & *mobiles*, veluti liber mutilus, vas futile, panis mucidus, piſces fœtidi, annona corrupta, vinum vel cereviſia aceſcens, amplius, etiam ſi vendita ſit res *immobilis* vitioſa, veluti fundus peſtilens *L. 49. ff. de Aedilitio Edicto* redhibitioni locus eſt. Neque id mutatum per *L. 2. C. de Reſcindenda venditione.* Hæc enim actio non datur niſi laeſo ultra dimidium, cum redhibitioni laeſio etiam minor ſufficiat, modo non talis ſit quam non curet Praetor, qualis eſt minima: nec electionem in Redhibitoria reus habet, pretium *reddere* an *damnum ſarcire* velit, ſed *abſciſſe* pretium *reddere* et rem *recipere* cogitur.

Nos de redhibitione *equi*, jumenti omnium Nobiliſſimi agemus et uſibus humanis accommodatiſſimi. Dicitur is alludentibus *equus*, quia *iniquus* eſſe non ſolet æquo vectori; dicitur Pferd, non alluſione tantum, ſed etiam veriverbio, quia geſtari ab eo ſolemus, eſt enim geſtare Germanis baaren, unde radix Belgica Paard. Naturam ejus et indolem deſcribit BUCHANANVS *in Sylvis loco penultimo*:

Caetera rerum opifex animalia finxit ad uſus
Quaeque ſuos: equus ad cunctos ſe accommodat unus.
Plauſtra trahit: fert clitellas: fert eſſeda: terram
Vomere proſcindit: dominum fert, ſive natatu
Flumina, ſeu foſſam ſaltu, ſeu vincere curſu
Eſt ſalebras opus, aut canibus circumdare ſaltus,

Aut

Aut molles glomerare gradus, aut flectere gyros,
Libera ſeu vacuis ludat laſcivia campis.
Quod ſi bella vocent, tremulos vigor acer in artus
It, domino et ſocias vomit ore et naribus iras,
Vulneribusque offert generoſum pectus, et una
Gaudia, moeroremque ſumit ponitque viciſſim
Cum domino: ſortem ſic officioſus in omnem
Ut veteres nobis tam certo foedere junctum
Crediderint mixta coaleſcere poſſe figura,
Inque Pelethroniis Centauros cedere ſyluis.

Aliam equi, ſed *generoſi* tantum deſcriptionem dedit VIRGILIUS *Georg. L. III. v. 75.*

Cum autem et noſtræ regiones equis abundent, in multiplici jumenti negotiatione ſaepe de redhibitione et vitiis ejus quaeſitum fuit. Ambigebatur potiſſimum, utrum ob vitium quodvis, quod uſum miniſteriumque ejus impediret, redhibitioni locus eſſet, nec ne? Interdum enim manifeſte iniquum erat, equum *apud nos* propter vitium *quodvis* redhiberi, qui a venditore *in regionibus, in quibus emtus eſſet*, veluti apud Saxones, redhiberi non poſſet niſi ob vitium *certum*, id eſt capitale. Juri tamen Saxonico dudum nuncium miſeramus et ei praelata erant inſtituta Juris Communis, Romani puta et Canonici: ultra, Jure Romano, ut ſupra dictum, tenebatur venditor etiam *ignorans*, quem ſcilicet vitium rei venditæ tempore venditionis fugiſſet, propter *culpam praeſumtam*, quod interdum duritie non carebat, quoties ſcilicet manifeſtum erat, *culpam* omnem *abeſſe*, in equis ſcilicet aliunde adductis et paullo ante ab ipſo venditore emtis. Pervicit igitur utilitas publica, ut et vitia *certa* deſignarentur,

Digitized by Google

tur, quae pro capitalibus habenda eſſent et ſimul caveretur, ut in reliquis non admitteretur redhibitio, niſi redhibens probaſſet, venditorem vitium tempore venditionis ſciviſſe.

Factum id duplici CONSTITUTIONE, quarum prior in ditionibus Calenbergenſibus obtinet, et auctorem habet Electorem ERNESTUM AUGUSTUM, dataque Hannoveræ die 30. Aprilis. A. MDCXCVII., inſerta eſt *Collectioni Conſtitutionum Calenbergenſium*, quae numero *XCIII.* junctim prodierunt Hannoveræ A. MDCCXI. *loco triceſimo nono.* Poſterior ad Principatum Cellenſem pertinet, et, publicata nomine Ducis GEORGII WILHELMI die 30. Decembris A. MDCXCVII. inter *Ordinationes Judiciales Cellenſes* reperitur *p. 644.* Utraque Conſtitutio in complurimis ſui partibus concordat, ita tamen ut in aliis utramque diſcrepare videas. Videamus primo de ſimilitudine, ita ut dein de diſſimilitudine ſoliciti ſimus.

Primum igitur id notabile videatur, quod Redhibitio, quae alias Germanis *Rück-Kauf* dicitur, in utraque *Wandelung* vocatur, et, quod voci *ruck-kaufen* in utraque vox *Wandeln* ſubſtituitur. Igitur quod alias *Ruck-Kauf der Pferde* eſt, apud nos *Wandelung* derſelben appellatur. Vox Grammaticis vulgo ignota, nullam aliam ſine dubio etymi rationem habet, quam quod Germanis *Wandeln* idem eſt quod *Mutare*, quod facere viſi ſunt, qui redhibent. Cavetur porro utraque Conſtitutione, I. ut redhiberi equus poſſit, ſi qua 1. ſit *Pituitoſus*, Rotzig 2. *Phreneticus* Kollerig, 3. *Aſthmaticus* Hertzſchlägig. II. Redhibitio utraque propter vitium quoque conceditur *Furti*, niſi dicere malis, ſervari Jus Commune, quo emtor rei furtivæ domino rem etiam non ſoluto pretio reddere cogitur *L. 2. C. de Furtis*, repetiturus id a venditore *L. 11. §. ult. ff. de Actionibus Emti.* III. Si quod aliud vitium apparuerit, quo equus ad uſum miniſteriumque ineptus reddatur, redhibi-

hibitio non aliter permittitur, quam ſi 1.) vitium jam tempore venditionis *adfuiſſe*, idque 2.) venditorem *cognitum* habuiſſe, probari queat, IV. denique propter *aliud* quoque vitium permittitur redhibitio, ſi equum vitio omni carere venditor affirmaverit.

Differt Conſtitutio utraque I. quod in Cellenſi adjicitur vitium *Lunaticę Coeci*, Mondblind, cujus coecitatis in Conſtitutione Calenbergenſi nulla fit mentio. II. Quod in Conſtitutione Cellenſi tempus Redhibitioni *trimeſtre* praefigitur, cum in Calenbergenſi *ſemeſtre* ex Inſtitutis Juris Civilis ſervetur. III. Quod in Conſtitutione Cellenſi ſpatium *bimeſtre* praeſtituitur, ſi emtor vitium tempore venditionis, et quidem venditori cognitum adſuiſſe probare velit. Denique IV. quod per ſpatium *menſtruum* tantum Redhibitioni locus datur, ſi quis equum redhibere velit propter aliud vitium, cum omne abeſſe venditor promiſerit: In Conſtitutione enim Calenbergenſi utroque caſu jus Romanum cuſtoditur.

Utraque igitur Conſtitutione iis conſultum itur, qui equos ex ejusmodi regionibus adducunt, in quibus Redhibitioni propter ſola vitia *Capitalia* locus eſt, adeoque ipſa quoque vitia, quae pro talibus haberi debeant definiuntur. Dein redhibitio quidem propter *aliud* vitium quodvis quo uſus equi impeditur, etiam permittitur, ſed non aliter, quam ſi id *tempore venditionis*, et quidem venditori *cognitum* adfuiſſe, probare emtor velit, qua ratione utique fruſtraneis litibus anſa praeciditur.

Vitium autem in equo, et ſcientiam ejusdem *tempore venditionis* penes venditorem fuiſſe, ratione vitii tantum *cujusvis* diſerte exigunt Conſtitutiones. Unde merito dubitatum fuit, an, cum de vitio *capitali* quaeritur, vitium jam

tempore

tempore contractus adſuiſſe Actor probare debeat. Quaeſitum id *in Facto* novimus apud Cancellariam Cellenſem, cum equus emtus *intra trimeſtre ſpatium* poſt emtionem Phreneſi correptus eſſet, idque *ſolum* redhibitioni ſufficere Actor exiſtimaret. Cauſſabatur enim, fieri nulla ratione poſſe, ut perfici haec probatio queat, adeo ſcilicet in vitio *occulto* veſtigia vitii omnia abeſſe; praeſumtionem tamen pro ſe militare, qua coniectura duceretur, equum tempore venditionis Phreneticum fuiſſe, quia Phreneſi laborare deprehenſus ſit intra tam breve poſt venditionem temporis ſpatium, inprimis cum equus Phreneticus *dilucida* habeat *intervalla*, quemadmodum dilucida intervalla hominibus eſſe dicuntur, qui ſaeva mentis agitantur rabie.

Sed *contra* Actorem judicatum fuit. Movebantur judices, quod in utraque Conſtitutione probatio *diſerte* Actori imponitur: rati ſine dubio, rationis id poſcere *ſimilitudinem*, ut, quæ probatio ab Actore ſuſcipienda eſt in vitio *quovis*, ab eodem quoque ſuſcipiatur in vitio *capitali*. Iidem, ſi quis *probare* velit, poſſe hic multum *teſtes* opinabantur, poſſe *judicium peritorum*, ſi ſint adhibiti tempeſtive, eorumque neglectus culpam ſuo merito damno ab Actore lui. Tandem, conclamatis rebus omnibus, ſupereſſe religionem *jurisjurandi*, qua adſtringi fides venditoris poſſit, ut, ſi id res ferat, vitium fateatur etiam invitus. Idem viſum fuit Supremo Appellationum judicio Cellenſi.

Age, videamus nunc, quae ſint illa vitia capitalia, propter quae equum redhiberi ſinant Conſtitutiones. Primum eſt, ſi equus ſit *Pituitoſus*, Rotzig, et bene eſt, quod, qui equi pituitoſi ſint, apud nos ſingularibus Conſtitutionibus cautum eſt. Invaſerat enim A. MDCCXXXVI. haec peſtilentia equos apud nos quam plurimos, ut pituita diffluerent. Quaeſita malo remedia, gravia primum pro gravitate mali, Conſtitutio-

tutione data die 23. Maji anni MDCCXXXVI. Deinde apparuit, intereſſe inter pituitam *ſanabilem* et *inſanabilem*. Pituita *inſanabilis* dicta, quando pulmones equi putreſcentes in diram reſolvuntur ſaniem. *Sanabilis* quoties aliunde morbi cauſſa et origo. Quare eodem anno die 18. Auguſti, ſuperioris Conſtitutionis edita Declaratio et utriusque morbi prodita indicia. Scilicet glandulae in gingivis equi juſto duriores, effluvia tabi, flavi et viridis, ſanguine porro mixti ejusdemque glutinoſi et foetidi ſigna pituitæ *inſanabilis* viſa, inprimis ſi glandulae hae gingivis jam firmiter adhaereant. Pituitae contra *ſanabilis* argumentum glandulae molles et mobiles fuerant, pus album, fluens naturaliter nec ſanguine mixtum. Neque tamen haec, ſanabilis, minus quam illa, inſanabilis, talis eſt pituita, propter quam redhiberi equus poſſit. Nam in Declaratione Superioris Conſtitutionis nihil remiſſum ratione eorum, qui equum vendiderint pituita tantum laborantem ſanabili, a ſeveriſſimis poenis, quibus in ipſa Conſtitutione plectitur quicunque equum pituitoſum vendiderit, ſoletque ſaepe pituita etiam ſanabilis degenerare in inſanabilem.

Secundum vitium capitale, propter quod redhiberi equus poſſit, eſt *Phreneſis* ſive furor, unde equus ejusmodi etiam equus Phreneticus, ein kollrig Pferd dicitur. Hunc equum Phreneticum primum ſeparabimus a Melancholico. Nec enim manſuetus eſſe deſinit equus, qui Melancholia laborat. Phreneſis autem vel *vera* eſt vel *notha*, quarum illa ex cerebri, haec ex Diaphragmatis inflammatione naſcitur: illa ſanabilis, haec inſanabilis appellatur. Phreneſi *Vera* laborans equus non tantum in homines et beſtias, ſed etiam in ſe dentibus, ſaevit, et, ſi compedibus ſe expedierit, caput parietibus illidit donec exſpiret. Mitior Phreneſis *notha*, qua qui laborat equus primo ſine cauſſa turbatur, et ſemet ipſum eripit, dein

Digitized by Google

Stare loco neſcit, micat auribus, et tremit artus,

tandem cum furioſis ambulat et exſilit. Sed habet hic furor dilucida, quibus diſtinguitur intervalla, ſoletque Natura, dum ſanabilis eſt Phreneſis, tumorem fere propellere in lateribus. Phreneſis ſanabilis ſaepiſſime in inſanabilem reſolvitur, neque proinde dubium eſt, quin propter Phreneſin ſanabilem quoque redhiberi equus poſſit.

Quod in homine Phtiſis eſt, illud in equis aſthma dicitur, a quo vitio *Aſthmatici*, Hertzſchlägig dicuntur. Originem morbi a pulmonibus, humorum craſſitie obſtructis derivant medici equarii. Iidem humorum craſſitiem vel ex *Cholera* naſci ajunt vel ex *Phlegmate*. Signa aſthmatis ex *Cholera* nati,

Macies in corpore toto,

anhelatio, attractio lumborum, inflatio narium, calor in auribus, ore, imo toto capite, oculi inflammati, halitus ardens, caput demiſſum, lingua flava, venae turgidae, titubatio in inceſſu, abſtinentia cibi in ſummo potus appetitu. Retuli ſigna aſthmatis ex cholera nati, ſequuntur nunc ſigna aſthmatis nati ex Phlegmate. Aſthmatis igitur *Phlegmatici* indicia ſunt tuſſis, ſpuma aut ſaliva ex ore profluens, humor ex naribus equi manans tempore tuſſis, attractus lumborum; tremor & attractus teſticulorum, femora inflata, nares patulae, foetor ex ore, ſudor denique calidus. Propter utrumque aſthma, Cholericum & Phlegmaticum redhiberi equus poteſt ex utraque Conſtitutione.

Contra ex ſola Conſtitutione Cellenſi vitiis Capitalibus accenſetur vitium equi *lunatice caeci*, Mond-blind. Cauſſa morbi ex corruptione humorum, quibus oculi tempore plenilunii vergunt ad coecitatem. Indicium vitii macula conſti-

Digitized by Google

conſtituunt, quæ inde a novilunio creſcentes, tempore plenilunii pupulam tandem totam obfuſcant, ita ut viſu equus penitus deſtituatur: decreſcente rurſus vitio, tempore decreſcentis lunæ. Profuit mihi in deſignandis, vitiis equi Phrenetici, Aſthmatici & Lunatice coeci experientia Viri Strenui VAL. TRICHTERI, ſtabuli apud nos Magiſtri, ejusdemque ut artis equorum ſubigendorum, ſic totius rei equeſtris peritiſſimi, quem proinde honoris cauſſa appello.

Hæc de Redhibitione equorum diſſerere nobis viſum eſt inter ipſa lectionum noſtrarum auſpicia. Semper in iis conjungere ſatagemus Conſtitutiones provinciales cum jure noſtro omni: hac autem æſtate cum Jure *Criminali*, *Civili* & *Ecclesiaſtico*. Primum enim *Notitiam* noſtram *Juris Brunſvico-Luneburgici* interpretabimur, operamque dabimus ſedulo, ut modo exhibendis *libris* ad hoc ſtudium pertinentibus, modo copia *juris quæſtionum* ex medio foro petitarum, modo elaborandis ad normam juris noſtri *Caſibus*, quos vocant, utilitati Auditorum inſerviamus. Juris autem Civilis doctrinam unde potius hauriremus quam ex Celeb. HEINECCII Elementis Juris Civilis ſecundum ordinem *Inſtitutionum* & *Pandectarum*? Eſt enim is horum librorum nitor, ea cohærentia, in interiori Juris Civilis, cui ſoli in his terris alligamur, per *Ordinationem Proceſſus Præcurſoriæ* §. *XVI.* cognitione, ut, in nuda legum doctrina qui ei præferendus ſit, noverimus plane neminem. Verſabimur autem ita in hac Expoſitione, ut primum *difficilioribus* paremus lucem, dein *Concluſiones* ex ſuis ducamus *Regulis*, Mercurii autem & Saturni diebus non tantum *Repetitioni expoſitorum* vacemus, ſed

&

& Auditores invitemus, ut *ipſi* periculum faciant in *demonſtrandis* nondum demonſtratis. Confidimus enim fore, ut ſic, dum ingenium exercent, dum judicium acuunt, non tantum utilius iis, ſed etiam amœnius ſit Juris Civilis ſtudium. Eandem penitus rationem tenebimus in explicandis Celeb. PERTSCHII *Principiis Juris Canonici*, & Celeb. BöHMERI *Principiis Juris Criminalis*, in quibus poſterioribus publice interpretandis, publice hic fidem Auditoribus noſtris ſpondemus.

BIBLIOTECA ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google